



**Christ-eyfriger Seelen-Wecker/ Oder Lehrreiche Predigen**

...

... Quadragesimale, Das ist: Die heilige Char-Wochen ... Dritter Theil

**Barcia y Zambrana, José de**

**Augspurg, 1719**

Approbatio Domini Doctori Don Alphonsi De Sancta Cruce Episcopi de  
Methoanes, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76494](#)



## APPROBATIO

DOMINI DOCTORI DON ALPHONSI DE  
Sancta Cruce Episcopi de Methoanes, Consiliarij Regij, & E-  
minentissimi DD. Cardinalis Portocarrero Archiepiscopi Toletani in eodem Ar-  
chiepiscopatu Suffraganei, & Sanctæ hujus Ecclesiæ Toletanae per Hi-  
spanias primariae Canonici, ac perpetui pro Regè Domino nostro  
Regij, ac insignis Collegij nobilium Domicellarum  
in hac urbe Administratoris &c.

## M. P. S.

LICENTIA ORDINARII



X mandato Vestra Celstitudinis vidi Librum, cuius titulus. Qua-  
dragesima sermonum Doctrinalium pro Dominica palmarum, die-  
bus sanctæ Septimanae, ac Resurrectionis: Tomus tertius. Autho-  
re, Don Josepho de Barzia, & Zambrana, Primatis Ecclesiæ  
Toletanae Canonici, lectumque semel rursus repetit delecta-  
tione ductus, & admiratione eum audiendi, atque in Majes-  
tate tam sublimis authoris id coniunctum inveni, quod diffi-  
cultur unitur, ut nempe rerum profunditas earum claritate ornetur, atque suavi-  
tas soliditat, & amaritatem utilitati copuletur. Miracula quædam sunt ista, quæ  
patrare novit prodigiosa ejus eloquentia, quam tanquam Superioris cuiusdam Sphæ-  
ræ merito admiramur. Siquidem, uti Plinius Libro 17. cap. 25. animadvertis nec  
ipsa natura omni ingenio suo eo eniti potest, ut extrema adeò diffusa in plantis  
uniat.

Cæterum anceps harere cœpit mea curiositas, utrum admiratio illa, qua  
author iste homines afficit, & suspendit, vocis vivacitati potissimum tribuenda sit,  
an verò impensisimo labore; solet enim tempus paulatim adimere, quod ab initio  
repente profusum satis fecit curiositati. Qua de causa Sanctus Hieronymus, (si  
tamen Erasmo fidem adstruimus) Sermones suos nunquam voluit scribere; illi  
enim sermones, qui inter ejus opera prostant, ipsius non sunt, ut facile persuaderet  
Styli varietas, cum utique etiam illis vigorem suum illum, & energiam Rhetori-  
cam non subtraxisset. Ita dubitanti in mentem etiam venit, quod Seneca docet,  
*Lib. 3. controversialium in prœm.* Quod nempe eloquentia vivacitas in Lectione plu-  
rimū soleat decrescere, quod etiam Casio obtigisse asseverat, quippe qui eapropter  
quartus fuit orator ex scriptis judicari non poterat, sed ex auditu. Non est,  
inquit Seneca, quod illum ex his, quæ edidit, estimatis, sunt quidem & hec qui-  
busdam puberum, eloquentia ejus longè major erat, quam lectio. At longè aliter acci-  
dit legenti mihi hunc librum: atque illud plane verum mihi videtur, quod Ovi-  
dius lib. 2. de Ponto Eleg. 6. circa principium de calamo suo assedit: Prabet mihi lit-  
tera lingua. Ita nempe illius quoque calamus oculis lingua est, atque id, quod  
legitur quasi auditu videtur, & quod auditur, quasi spectari. Quod quidem Sene-  
ca de Quintiliano olim dixit Epistola 3. lib. 8. Non enim \* mirari res, sed agi vi-  
detur.

Est autem cæteroquin totus liber iste, sicut, & reliqua ejus scripta, elegans,  
profundus, textibus, quibus fundatur, optimè instructus: emicat in eo rerum se-  
lectissi-

\*Narrari  
puto melius  
legeretur,

## APPROBATIO.

lectissimarum notitiae, & eruditio: Authores in eo citati graves sunt, & exquisiti, doctrina plana, & solida, ingens in explicando facilitas, quibus accedit in concipiendis cogitationibus subtilissimum ingenium. Quæ omnia tam præclara sunt pignora, ut Ecclesiasten dignum efficiant universali illo applausu, qualem author iste ubique obtinet, prout Doctotum Aquila, & sapientum Magister S. Augustinus tom. 3. de Doctrina Christ. cap. 1. innuit. *Dua sunt res*, inquit ille, *quibus institutus omnis tractatio Scripturarum: modus inveniendi, quæ intelligenda sunt, & modus preferendi, quæ sunt intellecta.*

Unde porro citra hyperbolēn ita existimo, Oratori huic à divina Providentia rursus infusum esse Spiritum illum, fervorem, & Sapientiam, quam Sextus Senensis lib. 4. Bibliothecæ lit. F. adeò extollit, dum dicit, quod Budominus Ferratiensis ex sacra Seraphica Familia præter id, quod sua ætate introduxerit modum concionandi, quem tenuere Basilij, Chrysostomi, & Gregorij, in dicendo cælestis quidam fuerit radius, in voce verè sonorum tonitru, in actione terror, in attrahendis cordibus vivacissimus quidam magnes & rapidissimus eruditionis torrens, qui omnem animi attentionem, atque affectum unà secum raperet. Comparet hic interim Lector signa hæc, & iudicia, dum ego Senensis verba adscribo, quæ ita sonant: *Concitatissimo orationis versu ab exordio usque ad finem decurrere, eodem semper actionis impetu, & eadem semper vocis magnitudine, & fortitudine rapiens convolvensque secum auditorum animos instar rapidissimi torrentis hibernis imbris acti.*

Atque ita, quemadmodum nemo opus hoc videbit, quin summopere illud sit admiraturus, verba mea in eo dilaudando finire cogito, atque encomia mea longè eo ineriora esse agnosco, & sic Lectorem laudatorem esse velim, atque ex toto corde quemlibet obtestor omnem afferat lectioni huic attentionem, neque fatigari timeat; ego enim vadem hinc me illi facio, quod quidquid attentionis, & vigiliatum ejus Lectioni, meditationisque attulerit, omne id in jucunda quadam admiratione non sine fænore sit recepturus. Quod fieri, ut ipse quoque auctori suo pro merito applaudat; cuius quidem nomen aliunde adeò celebre est per omnem Hispaniam, ut sibi soli sufficiat, ut omnia illius opera se ipsis docta, & secura esse credantur quin vel dubium admittant, vel censuram. Et hoc ita ego affirmo, cum in toto opere nihil sit, quod huic existimationi adversatur, ut itaque unà cum gratiarum actione dælda sit imprimendi licentia. Ita mihi visum est, atque hoc ego illi testimonium impertior; non quasi opus haberet hoc fulcro, sed ut partibus meis satisfaciam, & quod in commissis habeo, jucunda quadam obedientia vestræ Altitudini, à qua mihi legendum submissus est, exolvam. Toleti 16. Januarij Anno 1688.

*Alphonsus Episcopus de  
Mehouanes.*

*Summa del Privilegio Imprimatur si  
luber Hispanice. Item  
si lubet.*

*Summa de la Tasse.*